

[414 r] CONSILIVM de praesentibus Religionis  
Controuersijs pie & moderatissime componendis,  
scriptum a

D. IACOBO ANDREAE<sup>1</sup>

5 Cum nostro tempore praeter alios quam plurimos etiam inter Augustanae confessionis Theologos aliquot controversiae sint exortae, quibus adversarii ad errores et manifestam idolatriam suam confirmandam abutuntur, simplices autem et in vera religione non bene confirmati non parum offenduntur, saepe inter bonos disputatum est, quanam ratione huic malo occurrentum et 10 offendiculum e medio tollendum sit.

Alii enim synodum convocandam censem, in qua partes litigantes audiuntur et controversiis accurate examinatis et cognitis ex scriptura sacra pronuncietur, quid recte, quid secus ex omni parte dictum aut scriptum sit. Alii colloquia familiaria inter doctores instituenda censem. Alii vero 15 ἀμνηστίᾳ quadam pia totum negotium sepeliendum esse censem et tantisper sustinendum, donec successu temporis autoribus controversiarum sublati etiam cum ipsis certamina extinguantur. Et sane ex omni parte non desunt rationes.

Synodorum enim quis fuerit plerumque exitus, Nazianzeni docet sententia 20 ad Procopium scripta, quibus certamina non sublati, sed aucta esse docet.<sup>2</sup> Non meliora nobis a colloquiis speranda esse non modo superioris seculi, sed etiam nostri temporis instituta colloquia et eorum infelices exitus docent. Similiter plurimarum haere[414 v]suum historia testatur easdem cum suis 25 autoribus etiam nemine aut paucissimis reclamantibus sua absurditate extinctas esse. Sed non desunt quoque argumenta, quibus synodus suadeatur, qua controversias gravissimas si non penitus sublatas, posteritati tamen consultum legimus. Ex quarum numero sunt concilia Apostolicum, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesum et Chalcedonense. Ex horum enim decretis scripturae sacrae consentaneis, quae sanctorum patrum et piae vetustatis de motis controversiis sententia fuerit, constat. Similiter et sanctorum patrum privata scripta non parum utilitatis ecclesiae et posteritati attulerunt, quibus controversias gravissimas explicare conati sunt.

Sed cum nostri seculi rationem diligenter consideramus et personarum, quae controversiis involvuntur, voluntates et studium spectamus, ita res

<sup>1</sup> Undatierte Abschrift HABWolfenb.: Cod. Guelf. 33.18 Aug. 2<sup>o</sup>, Bl. 414r–428r (untere Zählung).

<sup>2</sup> Gregor v. Nazianz, Epist. ad Proc. (MPG 37 [1862], 226A).

comparatae videntur, ut propter exulcerationem animorum nulla neque syndodus neque colloquium sperari vel optari possit; scriptionibus autem, quibus pars utraque suam sententiam tuetur, voluntates litigantium non conciliari, sed subinde magis magisque distrahi videmus.

Quapropter cum nulla sit perversa nostro tempore exorta opinio, quae non plurimorum scriptis sit refutata, ut tandem finis sit scribendorum librorum, quibus eadem subinde repetuntur, [415 r] visum est quibusdam viris doctis et piis, pacis et concordiae non minus quam veritatis studiosis, ut ea in his controversiis tollendis ineatur ratio, qua certamina personalia et ad rem ipsam nihil pertinentia praecidantur, [et] de rebus ipsis vero, quae ut plurimum 10 ambiguitate vocabulorum implicantur, aperte pronuncietur et posteritati<sup>3</sup> per canones veritas incorrupta et inviolata transmittatur.

In ea sententia cum ego quoque semper fuerim, exploratis litigantium animis et voluntatibus tandem quoque animum adieci, ut brevissima explicatio controversiarum praemissa, quae ecclesiarum Augustanae confessionis 15 doctrina sit, paucis canonibus comprehendenderem, nihil dubitans omnes, quotquot hactenus commemoratis controversiis involuti fuerunt, facile assensuros. Qua ratione sublati contentionibus perniciosis pax pia et salutaris concordia ecclesiis sine acerba et infelici disputatione prolixiore restitueretur.

Sunt autem controversiae inter theologos Augustanae confessionis prae- 20 cipue quatuor: Prima de viribus humanis seu synergia voluntatis humanae in conversione peccatoris. Secunda de iustificatione fidei. 3. De bonis operibus. 4. De Adiaphoris, de quibus omnibus breviter et perspicue dicemus.

## DE VIRIBUS HUMANIS SEU synergia voluntatis humanae in Conversione hominis

25

In hac quaestione disputatur de viribus humanis, quid valeant [415 v] in rebus spiritualibus. Status controversiae est, an reliqua sit quaedam scintilla virium in homine non renato, quibus sese vel ad gratiam applicare vel oblatam acceptare queat. Aut ut magis aperte proponam, cum in conversione hominis concurrent Spiritus Sanctus, Verbum Dei seu audibile seu visible (ut 30 Augustinus appellat)<sup>4</sup> et voluntas humana, quaeritur de voluntate humana, an sese habeat active an vero passive. Alii enim dicunt, quod habeat sese active, alii vero mere passive in conversione hominis concurrere affirmant, et actionem, si quam tribuunt, repugnantiam magis quam assensum esse demonstrant.

Haec controversia ut recte intelligatur, vocabulum voluntatis ὄντων μηδ diligenter explicanda est. Voluntas enim hominis alias significat substantialem potentiam animae, qua anima ipsa definitur. Nam anima nihil aliud est

<sup>3</sup> posteritati q. Hs.

<sup>4</sup> Augustin, In Joh. ev. Tract. 80,3 (MPL 35,1840); Contra Faust. 19,16 (MPL 42,357).

quam omnes suae potentiae substantiales, et potentiae animae substantiales nihil aliud sunt quam ipsa anima. Sic anima est ipse intellectus, voluntatis et sensus potentiae, et potentiae intellectus, sensus et voluntatis sunt ipsa anima. In hac substantiali anima, quae dicitur voluntas, insunt duo, quae substantiae animae accidunt, scil. bonum et malum sicut in intellectu [416 r] scientia vel ignorantia, verum vel falsum.

Haec accidentia diligenter sunt distinguenda a substantialibus potentias animae. Confusio enim horum parit controversiam, qua vel studio error tegitur vel ignorantia veritatis involvitur. Contra si discrimen hoc diligenter 10 advertatur, facilis et expedita est ratio et explicatio huius controversiae. Cum enim quaeritur, an in conversione hominis etiam hominis voluntas tanquam causa concurrat, respondendum est voluntatem alias significare substantialiem potentiam animae, alias vero vires relictas, quas in externis et internis actionibus exercere potest. Ad propositam autem quaestionem respondeatur, 15 quod concurrat tanquam subiectum, in quo Spiritus Sanctus per verbum et sacramenta est efficax, quod vero ad vires attinet huius voluntatis substantialis, quae potentia est animae, quibus bonum velle, verbo Dei assentiri et Spiritui Sancto obtemperare possit, moveri et non mutari<sup>4a</sup> voluntatem.

Hic scripturae sacrae aperta sunt testimonia, quod scil. per peccatum 20 homo sit mortuus. Quantum igitur in cadavere mortuo reliquum est ad vitam restituendam naturalem, scil. potentia illa, qua potest vivificari, sed non suis viribus, tantundem virium reliquum est in vo[416 v]luntate hominis non regenerati, scil. δύναμις illa, quae dicitur voluntas, quae potentia animae est, 25 qua ipsa anima definitur, quae ad bonum mortua est, ut ex se non valeat aliquid boni cogitare. Hinc Christus: „Sine me nihil potestis“.<sup>5</sup> Cum autem anima sit actus seu spiritus agens nec quoddam materiatum, sed spirituale, ideoque ἀδυναμία voluntatis substantialis animae non est tantum amissio boni, sed etiam contrarius habitus, scil. malum, quod in locum boni succedit. Hinc sequitur, quod anima hominis non regenerata per Spiritum 30 Sanctum potentia sua, quae dicitur voluntas agens, non possit nisi et mala et male velle, quicquid velle dicitur.

Quod enim D. Paulus de intellectu hominis scribit: ψυχής ἀνθρώπος non percipit ea, quae sunt spiritus Dei propter habitum haereditarium ignorantiae in intellectu humano (1. Cor. 2)<sup>6</sup>, idem etiam de voluntate hominis 35 dicit, quod ex nobis tanquam ex nobis non sumus idonei aliquid boni cogitare, velle aut perficere (2. Corinth. 3).<sup>7</sup>

Quando autem David in psalmo inquit: „Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis“,<sup>8</sup> non sic accipiendum est, quasi Deus secundum substantiam novum cor aut novam voluntatem, quae 40 sit animae potentia [417 r] substantialis, creet. Sed intelligitur de facultate,

<sup>4a</sup> moventi et non mutant Hs.

<sup>5</sup> Joh. 15,5.

<sup>6</sup> 1. Kor. 2,14.

<sup>7</sup> 2 Kor. 3,5.

<sup>8</sup> Ps. 51,12.

quae est in substantia animae seu potentia eius, quae dicitur voluntas. Quae creatio est vera creatio, qua Spiritus Sanctus creat novos motus in voluntate humana tanquam subiecto, in quo insunt. Quia vero eodem momento, quo Deus novos motus creat in voluntate humana, voluntas humana agit nec fingi potest creatio novi motus, quo non moveatur, assentiatur voluntas humana substantialis voluntati divinae. Hinc nata est paulo abstrusior controversia, 5 an in ipso momento conversionis voluntas humana etiam aliquid agat, an vero sese pure passive habeat, quae instar trunci nihil agat, quin potius etiam repugnet. Hic respondendum est aperte, quod actio Spiritus Sancti in conversione hominis et voluntatis humanae, qua ipsa mutatur, ut etiam agat in ipsa conversione, sint tempore simul. Nulla enim est conversio aut regeneratio, quamdiu voluntas hominis non vult, quae tamen ex se ipsa non potest velle bonum, h.e. Deo docenti ex se ipsa assentiri, sed necesse est, ut creetur nova vis seu novus motus, quo assentitur.

Habet ergo sese voluntas humana in conversione hominis mere et pure passive respectu Dei seu doni novi, quod Deus confert, si consideres voluntatem in se ipsa consideratam et a Spiritu Sancto non regeneratam. Vicissim autem in ipso momento conversionis habet sese etiam active, h.e. assentitur [417 v] Spiritui Sancto, et tamdiu nulla fit conversio hominis, quamdiu homo convertendus non vult, h.e. donec hominis quoque voluntas et assensus accedat, 20 quem Deus creat in ipsa conversione, ut non modo Spiritus Sanctus, sed etiam homo velit et Spiritui Sancto non repugnet.

His consideratis facilis est huius controversiae explicatio, qua in conversione hominis nihil humanis viribus, sed omnia Deo ascribuntur, ut solius Dei gratiae et misericordiae sit honor, nec quisquam hominum de relictis 25 viribus gloriari possit. Deinde moventur homines, ne Deo per Spiritum S. in nobis operanti repugnemus, sed per ipsius gratiam creatis in nobis novis motibus assentiamur, ut non modo Deus in nobis, sed etiam nos cum Deo, ipsius dono et gratia agamus. Quia vero humana voluntas non ex toto regeneretur, sed manent in ea peccatorum reliquiae, ideoque perpetua etiam in illa 30 permanet repugnantia et certamen carnis cum Spiritu, quo Deus electos suos in perpetua humilitate retinere voluit, quamdiu in hoc seculo vivunt, ut magnitudinem beneficii Christi agnoscant, cuius per fidem et Spiritum Sanctum in facta regeneratione participes facti sunt.

Haec cum ita sese habeant, visum est subicere breves canones, quibus 35 ecclesiarum nostrarum doctrina (quae Augustanam [418 r] confessionem tanquam symbolum verae fidei et religionis agnoscent et profitentur) aperte sine ulla verborum ambiguitate perspicue demonstratur. Ideoque sequentes errores tanquam cum verbo Dei et symbolo religionis verae pugnantes improbamus:

Si quis dixerit Hominem<sup>9</sup> post lapsum secundum substantiam, h.e. ita corruptum esse, ut non idem permanerit, sed aliis, h.e. novus homo, nova substantia animae, quae ante lapsum in homine non fuerit, creatus sit.

<sup>9</sup> Neminem Hs.

Si quis dixerit Non substantiam animae, sed accidentia hominis tantum esse per peccatum corrupta, cum corruptio non accidentibus separatis, sed substantiae accidat propter accidentia. Nec pro accidentibus, sed pro substantia hominis propter accidens peccati sit mortuus filius Dei, nec accidentia, sed substantiam hominis redemerit.

5 Si quis dixerit Hominem post lapsum quod ad spiritualia attinet non totum, sed semimortuum, in quo sint reliquae vires, quibus auditu verbo ex se ipso possit assentiri.

Si quis dixerit Hominis voluntatem in conversione instar trunci otiosam esse et solus Spiritus Sanctus agat, homo autem instar trunci nihil agat, sed sit otiosus.

10 Si quis dixerit In ipso conversionis actu hominis voluntatem ex toto repugnare et conversionem sine assensu voluntatis humanae fieri.

15 Si quis dixerit Assensum voluntatis humanae esse ex opere creationis et non novum opus creationis in ipso momento conversionis per Spiritum Sanctum creatum.

Si quis dixerit Regenerationem hominis in hac vita fieri totalem, qua homo perfecte anima et corpore sine omni imperfectione renovetur.

## DE IUSTIFICATIONE

20 Controversia de iustificatione incidit de vera et germana sententia verborum D. Pauli, qua affirmat hominem coram Deo iustificari absque operibus,<sup>10</sup> ibi praecipue pugnatum est, quid significant vocabula iustitiae fidei sive iustitiae<sup>11</sup> Dei et iustificari. Alii enim pugnarunt vocabulum iustitiae Dei significare ipsam Dei essentiam, qua Deus sit iustus et iustificet, h.e. reipsa per inhabitationem iustitiae suae essentialis iustum faciat hominem, cui peccata propter passionem Christi remissa sunt. Alii vero contra demonstrarunt iustitiam fidei significare non essentialiem Dei iustitiam, sed remissionem peccatorum, et iustificari non reipsa per inhabitationem Dei [419 r] iustum effici, sed ab iniustitia et peccatis absolvi.

30 Est igitur consensus in hoc: peccata non propter essentialiem iustitiam Dei per fidem inhabitantem, sed propter passionem et mortem Domini nostri Jesu Christi remitti vere creditibus, in quibus Christus Deus habitat, idque non propter inhabitationem, sed propter opus obedientiae Christi extra nos factum. Cum autem haec duo tempore sint simul in creditibus, videlicet 35 imputatio obedientiae Christi in remissionem peccatorum et inhabitatio essentialis iustitiae Dei, diligenter attendendum est, ne haec vel commiscentur vel permittentur. Nulla est enim imputatio obedientiae Christi in remissionem peccatorum, priusquam per fidem Christus habitet in credente, et vicissim nulla est inhabitatio Dei in nobis, nisi peccata remittuntur.

---

<sup>10</sup> Rm. 3,28.

<sup>11</sup> fide sive iustitia Hs.

Quando ergo scriptura sacra testatur hominem coram Deo per fidem iustificari, intelligendum et referendum est hoc non ad inhabitacionem iustitiae Dei essentialis, qua nos impellit ad iuste agendum, sed ad imputationem obedientiae Christi in remissionem peccatorum. Sicut usus vocabuli in D. Paulo manifestus est, quod significat a peccatis absolvvi et remissionem peccatorum consequi, quam tamen nemo vere iactare potest, in quo Christus non habitat. Nam etsi Deus in credentibus habitat, qui est iustitia essentialis et reipsa credentes iustos facit per inhabitacionem [419 v] sui et participationem iustitiae suae, quae est ipse Deus, quae in hac vita incipit et abolita fide in credentibus perficietur, tamen cum propter peccata ad tribunal Dei pertrahimur, haec 10 inhabitatio iudicio Dei non est opponenda, sed sola obedientia, passio et mors Domini nostri Jesu Christi, quae per fidem nobis imputatur et nostra est imputata iustitia, sicut scriptum est: „Ei, qui non operatur, credit autem in eum, qui iustificat impium, huic imputatur fides sua ad iustitiam“,<sup>12</sup> ubi sub fidei vocabulo correlativum eius intelligitur. Nam obedientia Christi, 15 quae per fidem apprehenditur, ad iustitiam, h.e. in remissionem peccatorum et ad perfectam legis impletionem, credentibus imputatur. Consensus ergo omnium Doctorum, qui in ecclesiis Augustanae confessionis de iustificatione fidei docent, hic est: Quod homo iustificetur, h.e. a peccatis absolvatur et in gratiam Dei recipiatur, non propter essentialiem Dei iustitiam per fidem inhabitantem, sed propter obedientiam Christi solam per fidem solam credentibus applicandam, quae sola in terroribus conscientiae iudicio Dei opponenda est et conscientiam peccatorum tranquillam reddere potest. Quapropter sequentes errores tanquam verbo Dei et Augustanae confessionis repugnantes damnamus:

Si quis dixerit Hominem iustificari, h.e. a peccatis absolvvi et remissionem peccatorum consequi propter essentia[420 r]lem Dei in nobis habitantem iustitiam et non propter obedientiam Christi solam pro nobis Deo patri praestitam.

Si quis dixerit Hominem iustificari, h.e. a peccatis absolvvi propter obedientiam Christi in cruce praestitam, in quo tamen Deus, qui est essentialis iustitia, non habitat.

Si quis dixerit Imputationem obedientiae Christi in remissionem peccatorum et inhabitacionem Dei patris, filii et Spiritus S. non tempore esse simul in iustificatis, sed iustificationem fieri nulla regeneratione comitante.

35

## DE BONIS OPERIBUS

Certamen de bonis operibus natum est ex duabus propositionibus: Bona opera sunt necessaria ad salutem. Nemo unquam sine bonis operibus salvatus est. Quibus alii opposuerunt hanc propositionem: Bona opera sunt pernicioса ad salutem. De his propositionibus acriter pugnatum est propter formam ver-

40

<sup>12</sup> Rm. 4,5.

borum magis quam sententiam ipsam, quae his propositionibus explicatur, idque potissimum propter adversarios confessionis Augustanae, qui bona opera aeternae salutis meritoria esse tradunt et simul ecclesias nostras calumniantur, quasi fidem sine operibus doceant mortuam.

5 Horum calumniis et sophistificationibus cum nostri occurrere [420 v] vellet, alii ita fidei verae et iustificantis vim explicare conati sunt (quae, sicut corpus sine respiratione mortuum est, ita etiam ipsa sine operibus mortua est), ut in eam suspicionem adducti sint, quasi forma verborum, qua utebantur ad vim fidei vivae explicandam, bonorum operum merita denuo introducere et papatus errorem stabilire viderentur. Hinc factum est, ut quidam hac forma verborum uterentur: Bona opera ita ad salutem necessaria esse, quod sine bonis operibus nemo unquam sit salvatus, D. Pauli sententiam producentes, qui docet ore fieri confessionem ad salutem.<sup>13</sup> Alii vero ad retinendam sanam doctrinam de iustificatione fidei D. Paulum imitati bona opera perniciosa ad salutem docebant. Aperte enim idem Paulus inquit: „Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem cognitionem Domini nostri Jesu Christi.“<sup>14</sup> Cum autem D. Paulus secum non pugnet, qui alibi docet confessionem fieri ad salutem, quae tamen non erat causa salutis, alibi vero, quod sua bona opera pro detimento reputet, quae pia huius controversiae compo-  
20 sitio sit, videndum est.

Etenim inter hos scopulos duos navigatur, ne aut merito passionis et mortis Christi detrahatur, qui nobis non solum iustitiam, h.e. remissionem peccatorum, sed etiam salutem et aeternam vitam est meritus, ut ratione meriti eadem sit causa salutis [421 r], quae est iustitiae, h.e. remissionis peccatorum,  
25 aut fides fingatur notitia, quae non sit cum vera regeneratione coniuncta, quae per bona opera sese aperit et manifestat.

Compositio autem huius controversiae consistit in explicatione verborum D. Pauli, cum inquit: „Corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem.“<sup>15</sup> Cum enim fides sit causa iustitiae Christianae, quae definitionem iustitiae Christianae ingreditur, confessio autem non sit causa salutis, mirum videri posset, cur D. Paulus eadem pharsi in rebus diversissimis explicandis sit usus. Nam definitio iustitiae Christianae seu evangelicae est causalis, quae non sola Dei misericordia et merito Christi, sed etiam fide definitur iuxta illud Pauli: „Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis.“<sup>16</sup>  
30 Confessio autem non est causa salutis iuxta illud eiusdem D. Pauli: „Stipendium peccati mors, donum autem Dei vita aeterna in Christo Jesu Domino nostro.“<sup>17</sup> Cum igitur salus, h.e. vita aeterna, sit donum Dei, quod credentibus nullo ipsorum merito accedit, quam nobis confessio non conciliat, sed solius Christi meritum, sententia verborum D. Pauli ex analogia fidei per-  
40 tenda est, quae docet propter solius Christi meritum nobis salutem aeternam

<sup>13</sup> Rm. 10,10.

<sup>14</sup> Phil. 3,8.

<sup>15</sup> Rm. 10,10.

<sup>16</sup> Rm. 3,28.

<sup>17</sup> Rm. 6,23.

contingere, ideoque confessione non promereri homines. Quod autem Paulus inquit: „Confessionem fieri ad salutem“, [421 v] docere voluit: Confessionem non esse arbitrariam, quod in arbitrio credentis positum sit sine discriminē et periculo amittendae salutis vel confiteri vel negare Christum, sed necessario a nobis exigi, si velimus salvari, confessionem etiam cum periculo vitae et fortunā edendam iuxta illud: „Qui negaverit me coram hominibus, negabo etiam eum coram patre meo, qui in coelis est“<sup>18</sup>, quae verba aequipollent verbis D. Pauli „ore fit confessio ad salutem“, non quod conversio sit causa salutis et organum, per quod nobis applicetur – salutis enim causa est meritum Christi solum et unicum, quae nobis per fidem applicetur – sed quod fidem et gratiam Dei amittamus, quando in confessione veritatis non constantes perseveraverimus.

Quando ergo ex analogia fidei, quae unica est veritatis et sincerae interpretationis scripturae sacrae regula, constat, quod confessio nequaquam sit meritum neque causa salutis neque instrumentum, per quod applicatur salus, 15 neque pars iustitiae fidei, sed argumentum et signum praesentis spiritus fortitudinis et constantiae in credentibus, ideo ad salutem fieri a D. Paulo dicitur, quod per eius contrarium, h.e. abnegationem, totum Christi beneficium abiciatur, quod tamen non ipso opere confessionis seu merito, sed Spiritus Sancti praesentis virtute conservatur in electis.

His positis, quae indubitatis sacrae scripturae testimoniis et analogia [422 r] fidei iustificantis confirmata sunt, facillima est etiam huius controversiae compositio, si phrasis Paulina explicetur, qua ambiguitatem sermonis tollimus, quae viam parare quibusdam videtur ad stabiliendum meritum humanorum operum, quasi opera bona, quae fidem sequuntur, necessaria 25 sint ad salutem promerendam, quae sententia sicut a nullo Augustanae confessionis doctore agnoscitur fidei consentanea, ita etiam partibus litigantibus de ea convenire nihil dubium est.

Eadem ratione etiam absurditas alterius propositionis tollitur, qua dicitur: Bona opera ad salutem perniciosa esse, id quod verum est, si de ratione meriti 30 intelligatur. Ad salutem enim promerendam non modo non necessaria, sed etiam perniciosa sunt, sicut supra demonstratum est. Similiter si quis simpli- citer et non secundum quid perniciosa dixerit ad salutem, D. Paulo contradixit, qui confessionem ad salutem fatetur fieri, quae non arbitraria est, sed necessaria.

Cum igitur par sit utriusque propositionis ratio: Bona opera sunt necessaria ad salutem, et: Bona opera sunt perniciosa ad salutem, quae verborum forma nusquam in scripturis reperitur, regulam charitatis et dilectionis Christianae sequendam esse censeo, quam D. Paulus de esu carnium praescribit, qui cum offensione fratris est coniunctus: „Si esca scandalizet fratrem meum, 40 non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem scandalizem.“<sup>19</sup> Eodem [422 v] modo dicere licebit pio Doctori: Si phrasis sermonis, quam ego recte

<sup>18</sup> Mt. 10,33.

<sup>19</sup> 1. Kor. 8,13.

intelligo et pie explico, offendit fratrem meum et viam parare videtur ad merita humanorum operum stabilienda, in aeternum ea non utar, et vicissim: Si phrasis sermonis mei de operibus ad salutem perniciosis viam aperire videtur ad licentiam et flagitia, ea similiter ego quoque in aeternum non utar.

- 5 Non enim de rebus, sed de phrasi et sermonis genere quaeritur. Siquidem qui necessitatem bonorum operum profitentur et propugnant, aperte testantur salutis aeternae non minus quam iustitiae unicam causam et meritum esse mortem et passionem Domini nostri Jesu Christi, nulla autem nostrorum operum merita, sic et qui affirmant bona opera *(non)* necessario 10 facienda esse creditibus, *(testantur)* nec esse fidem vivam, quae per opera charitatis non sit efficax, nec confirmari licentiam peccandi.

Quae cum ita se habeant, quantum ab utraque parte publicata scripta testantur, quis non videt unicum remedium huic malo adhibendum, quod D. Paulus discipulo suo Timotheo praescripsit: „*Noli*“, inquit, „contendere 15 de verbis, ad nihil enim utile est nisi ad subversionem audientium.“<sup>20</sup> Et quidem cum de re ipsa contra horum verborum formam constat, de qua contenditur, charitas dominetur, quae ex una parte benignam explicationem [423 r] accipit, ex altera vero orationis formam, qua alii offenduntur, tanquam non aedificantem penitus abicit et scandalum cavet.

- 20 Quod vero ad sententiam attinet, quae de bonis operibus in ecclesiis Augustanae confessionis magno consensu passim docetur, sequentes propositiones tanquam et scripturae sacrae minime conformes damnentur:

Si quis dixerit Bona opera ad salutem promerendam necessaria esse. Si quis dixerit Bona opera partem esse iustitiae fidei, quae remissione peccatorum 25 per fidem propter solius Christi meritum definitur.

Si quis dixerit Bona opera creditibus esse perniciosa, quasi a fide avelli queant, qua cum sunt coniuncta.

Si quis dixerit Bona opera esse arbitraria et non necessaria, quae ad testificandam fidem a creditibus non necessario exigantur.

- 30 Si quis dixerit Iudicio Dei in terroribus conscientiae aliud opus quam solius Christi obedientiam esse opponendam.

## DE ADIAPHORIS

Disputatio de Adiaphoris etiam nostro tempore acriter agitata est, quae partim est de personis, partim de re ipsa.

- 35 Personae enim quaedam accusatae sunt coram ecclesia, quod tempore [423 v] mutatae religionis adversariis et hostibus veritatis nimium indulserint. Deinde etiam de re ipsa disputatum est, an liceat propter pacem et tranquillitatem conservandam hostibus veritatis in rebus Adiaphoris cedere, priusquam purus de doctrina consensus constituatur.

<sup>20</sup> 2. Tim. 2,14.

De personis nihil attinet dicere, quod singuli pro se reddent rationem coram Deo de suis factis nec rei sunt coram Deo, qui non consenserint. Et extant publica scripta, quae cum in terris legitime non sunt examinata, ad tribunal Dei provocant, cuius iudicium expectamus.

De re ipsa autem cum omnibus temporibus similia incidere possint, diligenter admonenda est ecclesia, scil. quod res Adiaphorae, h.e. ceremoniae ab hominibus ordinatae et εὐταξίας causa institutae, non sint pars cultus divini, quae pro ratione temporis, locorum et personarum mutari possint. Hoc ipso enim differunt a cultu divinitus instituto ab hominibus institutae ceremoniae, quatenus utiles et necessariae sunt, quod in potestate hominis non est mutare, 10 quae a Deo ordinata sunt. Humanae autem institutiones ita comparatae sunt, ut probabili causa et ratione sine offensione Dei mutari queant.

Duo ergo in his maxime consideranda sunt: Primum [424 r] est confessio veritatis ingenua. Alterum proximi aedificatio vel offensio, ne labefactetur fides in creditibus de doctrina filii Dei recte institutis.

Quando enim rebus per se Adiaphoris confessio vel abnegatio veritatis alligata est, ut mutatis ceremoniis etiam vera religio abnegata esse dicatur, D. Pauli exemplum sequendum est, qui in rebus Adiaphorae et quae propter infirmos ad tempus observabantur ne ad horam cessit falsis fratribus, „qui introierant ad explorandam libertatem, quam habemus in Christo Jesu“, et 20 veritas Evangelii apud relictos manet inconcussa et inviolata (Galat. 2).<sup>21</sup>

Extra hunc casum confessionis et assertionis libertatis Christianae fatetur, imo gloriatur se factum esse Iudeis Iudeum et omnibus omnia, ut multos domino<sup>22</sup> lucrifaceret.<sup>23</sup> De hoc enim beneficio Dei etiam pius est inter ecclesiarum Augustanae confessionis doctores consensus, qui tanquam a fide et 25 confessione Christiana alienum iudicant et improbant:

Si quis dixerit res Adiaphoras, h.e. ceremonias in ecclesia ordinis et εὐταξίας gratia constitutas, esse partem cultus Dei, quas nefas sit pro ratione temporum, locorum, personarum mutare.

Si quis dixerit Licere homini Christiano tempore persecutionis indulgere 30 hostibus veritatis et consensu in doctrina nondum facto pacis et tranquillitatis causa mutare aut recipere ceremonias iudicio certo abolitas.

[424 v] Si quis dixerit Extra casum scandali non posse neque debere mutari ceremonias ecclesiasticas, sed omni tempore et loco observandas.

Si quis dixerit Infirmorum nullam rationem habendam nec quicquam concedendum etiam in his, quae sua natura libera sunt, divinitus neque mandata neque prohibita.

<sup>21</sup> Gal. 2,4f.

<sup>22</sup> dominos Hs.

<sup>23</sup> 1. Kor. 9,20ff.

## DE COENA DOMINICA

Controversia de coena Dominica ab initio mota est per eos, qui Augustanam confessionem iam inde ab anno 30 usque in praesentem diem non agnoverunt. Sed postquam aliqui ex iis (qui aliquando confessionem Augustanam professi sunt) in sententiam Cinglianorum et Calvinianorum concesserant, eundem errorem sub verbis Augustanae confessionis tegere voluerunt, duplex nata est controversia. Altera quidem est de sententia Augustanae confessionis in hoc articulo, altera vero de re ipsa. Quod ad sententiam Augustanae confessionis in hoc articulo attinet, ingenue agunt Helveticarum ecclesiarum doctores, qui, ut ab initio potissimum propter hunc articulum peculiarem confessionem Carolo V. Imperatori exhibuerunt, ita a sua ipsorum confessione hanc semper alienam esse ingenue affirmarunt. Et docet ipsa [425 r] Apologia cum articulis Smalcaldicis, quae verborum Augustanae confessionis de coena Domini tum fuerit sententia.

Quae causa est, quod pii satis mirari nequeant nunc demum confessioni Augustanae affungi sententiam, quam contra illam Helvetici doctores in hunc usque diem oppugnant.

De re ipsa autem quaestio est, an in coena Domini cum pane et vino vere adsit et sumentibus distribuatur verum corpus et verus sanguis Christi. Augustana confessio unico verbo veram et realem praesentiam corporis et sanguinis Christi asserit, dicit enim „vere“ adesse.<sup>24</sup>

Apologia autem addit plura adverbia „substantialiter“ et „corporaliter“. <sup>25</sup> Quae tamen, dum alii aliter intelligunt et interpretantur, reperiuntur qui illic plane Cinglianorum sensum affingunt. Res autem sic se habet: Ex simplicissimis et apertissimis verbis Christi: „Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, Hic est sanguis novi testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur in remissionem peccatorum“<sup>26</sup>, unanimi consensu in ecclesiis Augustanae confessionis docetur, quod cum pane et vino vere adsint et distribuantur omnibus sacramenta sumentibus corpus et sanguis Christi. Siquidem Christus non ludat nos signis inanibus, quin veritatem ipsam exhibeat in novo testamento, cuius umbra tantum erat in veteri testamento, veritatem autem praesentiae huius nostri explicare conantur his [425 v] potissimum adverbiosis et vocabulis, quibus passim in scriptis suis utuntur (substantialiter, essentia-liter, realiter), quibus ipsam praesentiam magis quam modum praesentiae explicare voluerunt. Voluerunt enim dicere: Christum ratione humanitatis suae, h.e. corpus et sanguinem ipsius, non significari et adumbrari in coena Dominica, sicut in sacrificiis veteris testamenti adumbrata sunt, sed vere nunc in ipsa actione adesse et dispensari. Id cum adversarii dicerent fieri spiritu-aliter, h.e. iuxta divinitatem et praesentiam Spiritus S., qui tanquam interme-dius inter hominem Christum in coelis et nos homines in terris praesens pra-

<sup>24</sup> CA 10 (BSLK, S. 64).

<sup>25</sup> Apol. 10 (BSLK, S. 247,47; corporalem praesentiam 248,12f.).

<sup>26</sup> Mt. 26,26.28 par.

stet, quae Christus promiserit, nostri dixerunt Christum etiam adesse corporaliter et non solum secundum divinitatem, sed etiam iuxta humanitatem suo corpore et sanguine, sicut ipsius verba sonant. Id Cingiani non modo cum veritate corporis humani, verum etiam cum fidei articulis pugnare dixerunt, quoniam Christus suo corpore ascenderit in coelos et ibi sedeat ad dexteram Dei, unde venturus sit iudicare vivos et mortuos, qui simul omnes consistere non possint, si suo corpore et sanguine adhuc in terris praesens esset. Hic responsum est modum praesentiae non esse corporalem, carnalem, naturalem, physicum, nihilominus ipsum tamen Christum totum adesse substantialiter non modo Deum, sed etiam hominem eo modo, quo exaltata sit 10 [426 r] humana natura in Christo per hypostaticam, h.e. substantialiem unionem, quia Filius Dei cum natura humana est una persona supra omnes coelos exaltata ad dexteram virtutis et maiestatis Dei, quae, ut loco nullo circumscrivitur, ita etiam Christus iuxta humanitatem, quatenus eius humanitas una persona est cum Filio Dei et Christus propter humanitatem assumptam 15 ad dexteram Dei sedere dicatur, qui iuxta divinitatem est ipsa dextera Dei, ubique praesens, promissione sua in coena Dominica vero implet et hoc modo maiestatis, qui rationi humanae est impervestigabilis, vere et substantialiter, realiter, h.e. personaliter adest. Qua ratione neque veritas naturae humanae cum Eutyche negatur neque Christus iuxta humanitatem suam 20 maiestate exiit neque naturae aut proprietates naturarum misceantur, sed sinceritas articulorum fidei explicatur et certitudo promissionis de vera praesentia corporis et sanguinis Christi in coena confirmatur.

Hoc mysterium veteres ecclesiastici scriptores similitudine animae et corporis humani explicare conati sunt, quod etsi non per omnia quadrat, hoc 25 tamen explicat maxime, quomodo Filius Dei proprietates divinae naturae non nomine eius tantum et verbaliter, sed realiter communicet assumptae naturae humanae sine naturarum et earundem proprietatum confusione. Sicut enim anima suas proprietates corpori communicat nec aliquam ἐνέργειαν [426 v] exercet sine corpore, quorum tamen nihil per se et sua natura absolute et 30 separatum habet corpus – alio autem modo quod corpus cum anima commune<sup>27</sup> habet corpori, alio modo animae tribuuntur – sic etiam divinitas suam maiestatem assumptae naturae communicat, quae tamen alio modo de humana natura dicitur quam divina.

Sicut enim visio alio modo oculo tribuitur, per quem videt, sic quoque 35 alius modus est praesentiae Deitatis, alius humanitatis, illa naturaliter, haec personaliter, illa ex se suaque natura, haec vero per modum communicatum unione personali, quo omnes actiones cum filio Dei assumpta natura habet communes. Nam divina natura quae habere dicitur, ipsa sua essentia est, humanitas autem haec omnia non participat, quia non instar aliarum 40 naturarum partem eius capit, sed communia habet naturaliter, ut non quidem eodem modo, quo divinitas videt, naturaliter, sed alio scil. personaliter, h.e. propter unionem personalem, habeat, quod divinitas est naturaliter, qua

<sup>27</sup> communem Hs.

assumpta natura humana in summam illam maiestatem est sublata. Sic cum Nicodemo in terris loquebatur, iuxta humanitatem quoque non modo in coelo, verum etiam omnibus coelis sublimior fuit. Nihil enim locale est haec commemorata maiestas, ideo etiam non in loco aut localis est praesentia, 5 quam credimus, non intelligimus, adoramus, non scrutamur.

Hic modus praesentiae status aequalitatis a D. Basilio dicitur. [427 r] „Dextera“, inquit, „nesciat locum inferiorem, sed statum aequalitatis“,<sup>28</sup> sicut D. Ambrosius honoris aequalitatem interpretatur.<sup>29</sup> Non quod natura humana ratione essentiae suae sit exaequata divinae, quae humanae naturae 10 esset Eutychiana abolitio et abnegatio, sed quoniam in illam maiestatem est evecta et modo maiestatis donata, quo praesens est secundum humanitatem, omnia opera cum filio Dei habet communia, coelum et terram administrat. Haec cum nihil aliud sint quam Symboli Apostolici indubitati articuli, plana 15 et expedita est verborum coenae Domini explicatio, ne ab eorum simplicitate recedemus et propter veritatem corporis Christi asserendam alienum his sensum affingamus.

Non enim eo modo in coena esse dicitur praesens, quo dicitur ascendisse et esse in coelo, sicut etiam in prima coena non eo modo corpus suum et sanguinem discipulis dispensavit, quo discubuit. Et retinet etiam nunc in coelo 20 περίγραπτο / circumscriptum et essentia sua finitum corpus, etsi alia sit corporis glorificati quam naturalis corporis circumscriptio. Hac inviolata et conservata modus praesentiae definiatur sessione ad dexteram Dei, quae, ut loco non est circumscripta, ita etiam sessio eius secundum humanitatem et per consequens praesentia eius in terris et in coena, ubi vere adest et efficit, 25 quae verbis Ecclesiae suae promisit.

Haec explicatio nihil habet obscuritatis, nihil novitatis, nihil perplexi- [427 v]tatis aut absurditatis, sed simpliciter articulos fidei recitat, veritatem corporis Christi asserit, maiestatem eiusdem declarat, praesentiam in coena Domini confirmat et simplicem ac genuinum sensum verborum coenae 30 retinet, quae constans fuit D. D. Lutheri sententia, a qua Augustanae confessionis doctores non recedunt, sed per gratiam Dei et magno et pio consensu profitentur.

Sequentes errores cum hac simplici et primaeva atque aperta veritatis doctrina pugnantes unanimiter damnant:

35 Si quis dixerit In coena Domini non vere et substantialiter, h.e. substantialiter et personaliter, adesse et distribui cum pane et vino verum corpus et sanguinem Domini Jesu Christi.

Si quis dixerit Corpus et sanguinem Christi in coena adesse naturaliter, car- naliter, modo corporali, qui dimensionibus quantitatis naturalis definitur, aut 40 localiter pani includi aut affigi.

<sup>28</sup> Basilius d. Gr., De Spiritu Sancto, c. VI (MPG 32 [1857], 90C).

<sup>29</sup> Vgl. Ambrosius, Comment. in ep. ad Phil., c. 2 (MPL 17,431–434).

Si quis dixerit Corpus et sanguinem Christi adesse spiritualiter, h.e. Spiritum Sanctum tantum adesse Christo secundum humanitatem omnibus modis absente.

Si quis dixerit Fidem sumentis sacramentum facere praesentiam corporis et sanguinis Christi, qua ascendant fideles in locum coeli summum, ut illic 5 Christo fruantur.

Si quis dixerit Corpus Christi in divinitatem permutari et non amplius sit verum corpus habens suas dimensiones, quae corporibus spiritualibus congruunt.

[428 r] Si quis dixerit Humanam naturam in Christo exaequatam cum 10 natura divina, ut eodem modo de humanitate proprietates divinae naturae praedicentur<sup>30</sup> quo de natura divina.

Si quis dixerit Eodem modo Christum secundum humanitatem in coena Dominica adesse, quo adest secundum divinitatem.

Si quis dixerit Dexteram Dei significare certum locum in coelis et sedere ad 15 dexteram in loco aliquo coeli sedere.

Si quis dixerit Incredulos et impoenitentes hypocritas non accipere corpus et sanguinem Christi, sed tantum panem et vinum corporis et sanguinis Christi absentis signa.

Wann Gott seine gnade unnd gaben anbeut durch das gepredigte wordt 20 unnd denn rechtenn brauch der Heiligen Sacrement, so ist der mensch, so noch der zeit durch den heiligen geist nicht wiedergeboren, nicht so starck unnd vermagentlich, daß er nach denselben gabenn greiffen konne, sondern Gott muß in seinem Willen die gnad erschaffen, nemlich den glaubenn, welcher die einige hand ist, damitt man die gaben Gottes ergreiffett unnd ihm 25 selbst zueigenett. Dieweil aber der glaub nichtt deß menschenn, sondern allein Gottes gab unnd werck ist, so ist leichtlich dabei zu vernehmen, was des menschenn wille in der bekehrung vermoge, Nemlich auß ihme selbst unnd seinen krefften gar nichts.

Jacobus Andreae D.

---

<sup>30</sup> praedicante Hs.